

detur prodere, hunc enim, nisi liberi ex suis civibus, non videntur potuisse legere. Id non obstaret, respondit DULODORUS; *κηρσιάρχης* enim non eum significat, qui in libera Creta imperium administrat; sed Præsidentem Ludorum Publicorum, Certaminum, Sacrorumque & Spectaculorum aliorum, quæ per Cretam in honorem vel Deorum, vel Heroum agebantur. Ita sanè Asiarchas explicat Cel. Morell. d. l. Si huc attendam, inquit ETASTES, conjectura subit: annon, ut Asiatici, ita & Cretenses Antonium honoribus Bacchi affecerint, huncque concernant omnia hæc Numismata? Id si arbitreris, respondit DULODORUS, etiam Templum ejus honori exstructum statues; Sed his apud Authores nec lux affulget, nec basis subternitur. Quapropter, licet convenientia cum Nummis Asiaticorum tale quid suadere videatur, tutius tamen in cultu Deorum subsistimus, Templumque Jovi addicimus, cujus in altero simulacrum est. An Ultori? excepit ETASTES; hunc enim fulmen stringens videtur adumbrare. Huic ipsi, respondit DULODORUS; neque enim frustra est, quod templum hoc rotundum sit, omnino enim ad id hic respici crediderim, quod Marri Ultori Augustus Romæ condiderat, eademque planè figurâ etiam Nummis suis impreffit, cum Bruto & Cassio devictis, necem Divi Julii ultus esset. Quicquid sit & Bacchum & Jovem in Creta cultos fuisse, indubium est. De Jove, inquit ETASTES, ejus incunabula docent; & succurrit quoque *Jupiter Asius* in Creta cultus, de quo Stephanus. Quanquam enim non ab *Asia*, sed ab *Aso Urbe* ita dictum Stephanus asserat, *Asum* tamen ab *Aso*, aut *Aisso* Troadis, appellationem sumfisse, ut & alia Phrygiæ cognomina Cretensium loca, ut credamus, adeoque & hic Cretensium origines recolamus, non video quid obstet. Sed de Baccho docendum, Meursius enim, qui de Creta ex professo scripsit, licet Vini Cretensis præstantiam pluribus laudaverit: imò & de Cretensium Diis passim luculenter disserat, de Baccho tamen ne verbum quidem attulit. De Baccho, respondit DULODORUS, jam in Thesaurio Regio-Elect. Brandenburgicò, ad Numisma Cydoniatarum attuli verba Diodori, quæ si ita lubet ad rei fidem hinc tibi repetam, sed ne tædio sim, calamò Romanò: *Ad Bacchum, inquit laudatissimus Author, vitis inventionem ejusque culturam, & vini conficiendi fructuumque autumnalium condendi rationem Cretenses referunt. Sed Deum hunc è Jove & Proserpina in Creta natum confirmant, quem Orpheus inter mysteriorum ritus à Titanibus discerptum tradit. Dionysum autem in Creta editum esse his argumentis probare nituntur, quòd Duas propè Cretam Insulas, in gemellis, quos vocant, simul excoluerit, easque de nomine suo DIONYSIADES appellârit, quòd alibi nusquam per totum Orbem fecerit.* Hæc Diodorus; quanquam forsitan nec hinc malè ad Asiam respicias. Baccho enim totam Asiam ad Indiam usque veteres consecrassent, Strabo testatur Lib. X. p. 471; & licet Strabo Phryges Thracum colonos faciat, id tamen, si de primis Phrygiæ incolis intelligendum sit, erroris facilè convinci poterit; Licet enim veritatem ex Sacro Codice nugis nostris non arbitreris miscendam, cum tamen etiam ex hæcenus dictis planum sit, Phryges hominum primos genitos, indeque & Orpheum Thracem Mytheria Orgiorum didicisse, facile utique constabit, ex Phrygia, illa scilicet, quam & Asiam antiquissimis temporibus dictam supra docuimus, etiam Bacchi Sacra descendisse. Hinc sanè videtur esse, quòd Bacchi Sacra cum Sacris Matris Deum Poætæ passim jungant, uti ex locis Straboni citatis planum est: ut apud Euripidem:

Ω μά-